



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Hermes Theologicvs, Id est Synopsis totius Theologiæ, perspicuè, doctè, subtiliter, ac breviter discussa**

Et In octo Partes ... distincta ...

De Peccatis Et Gratia

**Vindalium, 1646**

Sectio IV. Quid sit originale.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-38789**

Quæres 2. an si non Adam, sed Eua tantum peccasset, filij eorum contraherent peccatum originale. Responder. S. Thomas art. 5. negatiuè, quod probat, quia solus pater in generatione est principium actiuum, mater autem tantummodo materiam subministrat. Vnde peccatum transfusum esset in posteros, si solus Adam peccasset, non autem si Eua tantum. Sed quicquid sit de illa ratione, congruentius sanè videtur, vt Deus potestatem traducendi iustitiam originalem in posteros dederit Adæ soli; quia cum ille esset caput, & principium totius generis humani; ad eum propriè spectabat pacisci pro se, & pro suis filijs, quorum voluntates in voluntate ipsius continebantur.

---

#### SECTIO IV.

*Quid sit originale.*

#### CONCLUSIO I.

**P**eccatum originale nihil est aliud quàm priuatio iustitiæ originalis debitæ inesse. Probatur inductione, nam



imprimis peccatum originale non est propensio illa, qua concupiscentia fertur in illicita, præueniendo vsum rationis, vt volunt quidam hæretici: quia certum est, peccatum originale tolli in baptismo, quoad totum id quod veram & propriam rationem peccati habet, vt definitum fuit in Concilio Trident. sess. 5. cum tamen motus concupiscentiæ in renatis, maneant, vt satis patet experientia.

Præterea peccatum originale non esse formaliter peccatum ipsum actuale Adæ, vt per illud omnes eius posterii extrinsecè denominantur peccatores, vt aiunt quidam Catholici, probatur, tum quia Concilium Trident. sess. citata statuit, Adæ peccatum omnibus inesse vnicuique proprium: tum quia similiter dicendum esset, omnes homines constitui iustos, denominatione extrinseca ab vnica Christi iustitia ipsis imputata, quod tamen hæreticum est; tum quia sicut non potest quis denominari agens, ab actione alterius, ita neque ab ea denominari malus aut peccator; tum quia aliàs simpliciter verum esset, quod Pelagiani dicebant, peccatum originale non inhaerere parulis ipsis, & quod inde consectarium ducebant, eos non indigere baptismo, ad consequendam remissionem peccati originalis.



DE PECCATIS. CAP. XII. 139

Ex his autem concludimus tandem, peccatum originale consistere formaliter, in priuatione iustitiæ originalis debitæ inesse, vt patet à sufficienti enumeratione: quia cum primus parens per inobedientiam, non tantum sibi; sed etiam nobis iustitiam originalem amiserit, dubium non est, quin eiusmodi priuatio quâ à gratia, & amicitia diuina excidimus, in nobis sit mala moraliter, & per eam intrinsecè fœdati & peccatores constituamur, Deusque merito propter illam nos à beatitudine æterna excludat. Confirmatur, nam peccatum originale formaliter tollitur per gratiam baptismalem; ergo consistit formaliter in priuatione talis gratiæ, quæ à iustitia originali non distinguitur.

Dices 1. si actuale peccatum Adæ non spectat ad essentiam peccati originalis, quomodo verum est illud Pauli Roman. 5. Per vnus inobedientiam peccatores constituti sunt multi? & quod postea ait, in Adamo omnes peccasse. Respondeo 1. nos per inobedientiam primi parentis peccatores fuisse constitutos, non formaliter, sed causaliter, quatenus per illius præuaricationem, non modo peccata corporales, sed etiam peccatum ipsum in nos transfusum est, vt explicat Conci-



lium Trident. sess. 5. citata, & satis patet ex eo quod addit Apostolus; Ita & per vnus obedientiam iusti constituentur multi, constat enim nos per iustitiam Christi non esse iustificatos formaliter, sed causaliter.

Respondeo 2. nos in Adam peccasse, non quòd tunc actu peccauerimus, cum nondum essemus, sed quia cum ille esset caput nostrum, & iustitiam accepisset ea lege, vt eam in nos transfunderet, si in obedientia permaneret, secus verò & sibi, & nobis amitteret; eo ipso quòd præceptum diuinum violauit, hinc contraximus aliquam necessitatem incurrendi in peccatum, statim atque existimus.

Dices 2. aut Beata Virgo à Christo redempta non fuit, aut si fuit, vel ea habuit peccatum originale in se, aut certe debuit habere aliquid maculæ in primo parente, à quo liberaretur; hoc enim ablato nihil superest quod remissione indigeat. Respondeo 1. hoc argumentum, si quid probat, contra suos authores colligi, Beatam virginem fuisse obnoxiam, saltem ex parte, peccato originali: si enim eandem Adæ actionem ipsam patrauit, & hæc spectat ad essentiam, vel integritatem peccati originalis, quis nõ videt Dei Matrem à peccato originali non fuisse per-



DE PECCATIS. CAP. XII. 161  
fectè & totaliter liberam?

Respondeo 2. etsi actuale peccatum Adæ non sit de intrinseca ratione peccati originolis, & nulla fuerit in Virgine macula luenda, hinc non sequi, eam non fuisse redemptam; quia ad hoc sufficit, quòd à culpa originali, per specialem gratiam præseruata fuerit, vt iam supra obseruatum fuit.

Dices 3. etsi per baptismum conferatur gratia sanctificans, non tamen propterea restituitur baptizato iustitia originalis, qualem amisit in Adamo: ergo falsum est, quod peccatum originale consistat in priuatione talis iustitiæ. Respondeo hinc tantum sequi, peccatum originale non esse formaliter priuationem iustitiæ originalis, prout hæc includebat non modo gratiam, charitatem, aliasque virtutes infusas, sed etiam perfectam subiectionem appetitus ad rationem, absolutam rerum omnium naturalium scientiam, præseruationemque à morbis, aliisque incommodis corporeis. Negamus tamen inde colligi, peccatum originale non esse formaliter priuationem iustitiæ originalis, qua parte hæc includebat gratiam, & virtutes infusas, in quibus iustitia & sanctitas interna formaliter constituitur.




Dices 4. priuatio iustitiæ in nobis est pœna peccati originalis; ex S. Thoma infrà quæst. 15. art. 5. ergo ipsa non est peccatum originale, sed potius effectus. Respondeo S. Doctorem quæst. 82. art. 3. apertè nobis fauere, cùm dicat priuationem iustitiæ originalis, per quam voluntas subdebatur Deo, esse formale in peccato originali. Quare cùm alio loco ait, priuationem iustitiæ esse pœnam peccati originalis, sensus est, nos in pœnam peccati primi parentis, priuatos esse iustitiæ originalis; quod non impedit, quin talis priuatio sit peccatum in nobis.

Instabis, cùm Deus non denegat gratiam, si peccatum originale consistit formaliter in priuatione gratiæ, sequitur Deum esse propriè causam peccati originalis. Respondeo id non sequi, nam peccatum originale non est priuatio gratiæ, quomodolibet spectata, sed quatenus est priuatio gratiæ, vt debitiæ, qua ratione non est à Deo; cùm posita Adæ inobedientia, non tenentur in instanti conceptionis illius posterioris gratiam infundere.

Dices 5. priuatio gratiæ est in eo, qui post baptismum mortaliter peccauit, & tamen in eo non est peccatum originale, ergo peccatum originale non est priua-



DE PECCATIS, CAP. XII. 163.  
tio gratiæ. Respondeo, peccatum origi-  
nale non esse quamcunque priuationem  
gratiæ, sed priuationem gratiæ, ob pec-  
catum primi parentis; qua ratione non  
est in baptizatis, sed propter personale  
ipsorum peccatum. Vnde collige, pecca-  
tum primi parentis, licet non sit intrin-  
secū peccato originali, vt supra ostendi-  
mus, per illud tamen connotari; ideo vt  
essentia peccati originalis perfectè non  
intelligatur, sine tali connotatione.



## CAPVT XIII.

*De effectibus peccati.*

---

### SECTIO I.

*Quomodo naturam corruperit.*

### CONCLUSIO I.

**N**atura humana aliquo modo cor-  
rupta est per peccatum. ) De hoc  
agit S. Doctor 2. 2. quæst. 85. c. 1.  
art. 1. docet, tria esse bona naturæ, quo-  
rum primum nec tollitur, nec minuitur